Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 493
Quelle:
Copyright:

V. *fol.* 233. Sermo de S. *Maria Magdalena* ſeu de Poenitentia, qui incipit: *Rogabat autem ihesum quidam phariseus, ut manducaret cum illo. Luc. 7. Hic narratur, quod occasione miraculorum fuit quedam peccatrix s. maria magdalena ad christum conuersa* &c. Prolixus eſt, ſed Autor ſubticetur.

VI. *fol.* 240. p. 2. rubro: *Incipit tractatus bonus De corpore christi.* Initium: *De sacro sancto corporis christi locuturi sacramento proponimus donante Deo procedere tali modo. Primo ponimus* &c. Opuſculum S. *Thomae Aquinatis* eſt in *Capita* ſeu *Sermones* XXXII. diſtinctum, quod extat *Opp.* T. XVII. *Romae* 1570. fol. 43. inter Opuſcula *numero* LVIII. ſed ibi deeſt *Praefatio*, cujus prima verba mox dedimus, et in principio alia quaedam aliter ſunt diſpoſita. Ad calcem nobis: *Explicit opusculum conpendiosum fratris Thome ffratrum ordinis predicatorum de excellentissimo sacramento hoc est tam de corpore et de sagwine Domini nostri ihesu christi.* Saepius redit, ut docet *Index.*

VII. *fol.* 287. p. 2. Tractatus a ſecunda manu inſcriptus: *Augustinus de conflictu viciorum.* Initium: *Apostolica vox clamat per orbem* &c. Tractatus hic olim jam *Auguſtino*, jam *Leoni*, jam *Ambroſio*, demum *Iſidoro* tributus extat in *Append.* T. VI. edit. *Maur. Opp. Auguſtini col.* 219. ſub titulo *Conflictus vitiorum et Virtutum*, putaturque ab Editoribus pertinere ad *Ambroſium Autpertum* Abb. *Beneventanum* Sec. VIII. Nobis finit in illis C. 26. verbis: *Cupio dissolvi et esse cum Christo, qui christus Dominus noster dulcissimus perducat nos ad regnum suum. Amen.* Et recte, ſi quid video; ultima enim *duo* in editis *Capita* perperam adſuta facile quis ſibi perſuadebit. Aliud Exemplar obvium iterato. Vide *Indicem.*

VIII. *fol.* 293. p. 2. absque titulo incipit *Liber de Fide ad Petrum*, quem ad *Codices* varios diximus eſſe *Fulgentii Ruſpenſis*, haberique in editionibus *ibid.* citatis. *Caput* XLV. ab iſto quoque Exemplari abeſt, quod recte incipit: *Epistolam fili petre tue caritatis accepi* &c. et finit: *et si quid aliter sapit hoc quoque illi deus reuelauit.*

IX. *fol.* 307. absque titulo *Expoſitio Symboli Apoſtolorum* contexta praecipue ex locis *Auguſtini Serm.* CCXII. T. V. P. 2. et *Serm.* CCXLII. in *Append.* ejusd. T. Initium eſt: *Queso vos fratres karissimi ut nobis reserantibus expositionem symboli attentius audiatis* &c. Finis: *sed sub hac breui forma fidelibus confitendum est.* Adhaeret I. fuſior Expoſitio τȣ *Omnipotentem* ex eodem *Symbolo*, quae incipit: *Ostendimus fratres dilectissimi ut uestra certe dilectio recordatur* &c. et finit: *Quod dominus noster ihesus christus in nobis secundum bone voluntatis studium perficere dignetur, cui est gloria* &c. II. *Fidei Profeſſio catholica* LV. articulis conſtans